e-codices

eius impendi beneficia. Iudei enim cum uiderent Christum et alapari et in cruce leuari dicebant. Si filius dei est descendat nunc
de cruce et credimus ei. Non est salus ipsi in deo eius. Id est nulla salus est in deo quem patrem suum esse dicit. Tu autem domine susceptor meus
es. Vox humanitatis filii dei ad diuinitatem patris. Illi dicunt nullam habere eum salutem. sed tu es susceptor meus. qui
me suscepisti in unitate personę. Verbum enim dei humanitatem assumpsit. Gloria mea. Tu es gloria mea quia me glorificasti
per miracula. Possunt etiam hęc ad ecclesiam referri. quę cum sustineret persecutionem dicebat quod peccauit regibus. multi insurgunt ad
uersum me. Tu autem domine susceptor meus es. qui me suscepisti de presenti tribulatione in eternam gloriam. Exaltans caput meum. potest
simpliciter dici. releuans a morte. uel quod melius est per caput mens intellegitur. Sicut enim caput primum est ceteris membris. ita mens cogi
tationibus. Exaltans caput. id est releuans mentem ut nihil terrenum cogitem in mente mea. Ista quę diximus id est de Christo id est de corpore et
de ecclesia possunt intellegi. hęc uero proprie de Christo domino. Voce mea ad dominum clamaui et exaudiuit me de monte sancto suo. Christi
oratio simplex fuit. Non enim faciebat imagines et fantasias in oratione sua sicut nos facimus. ideo dicit uoce mea.
Vna enim erat uox corporis et uox cordis. Nam nos quando oramus aliud labiis proferimus et aliud in mente tractamus. Ego dormiui et so
poratus sum et exsurrexi. Cum pondere accipiendum est quod dicit ego. quasi diceret. Ego qui potestatem habeo ponendi animam meam dor
miui et soporatus sum. Sopor est quietis somnus. Soporatus sum id est quiete et secura pausatione quieui in morte. enim non stimulabatur sicut
nos conscientia peccati. Illi enim quos reatus pungit in conscientia non quiescunt. sed terrentur potius in morte. Et exsurrexi. Surrexi
equidem potestate qua occubuit uoluntate. Quia dominus suscepit me. Suscepit me id est deus pater assumpsit me a mortuis. Nota
autem quia humanitas omne quod habuit per gratiam assumptus habuit non per se. Ergo conticescant heretici qui dicebant
hominem a se ipso saluari et sine gratia dei. Non timebo milia populi circumdantis me. Milia circumdantis populi sunt multitudines
iudeorum qui in passione eum circumdederunt et suadentibus scribis et phariseis succlamabant crucifige eum. Circumdederunt eum etiam alio loco
dicentes. Quousque animam nostram tollis. Si tu es Christus dic nobis palam. Exurge domine saluum me fac deus meus. Saluum me fac scilicet de per
secutione illius quam quando dormiuit dicit exurge. hoc est fac me resurgere. Exurge deus dicitur cum alicui ad uotum succurrit. sicut dormire
contemptari permittit. uel exurge id est manifesta quod filius tuus sum. humanitas ad Christum loquitur. Nam per diuinitatem equalis erat patri.
Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa. Percussisti preteritum pro futuro posuit propheticę. Et percussisti id est perpetua confusione
damnasti. quia cum Christo a mortuis resurrexit perpetua confusione damnati sunt iudei qui nolebant credere filium dei esse. Dentes peccatorum
contriuisti. dentibus cibos molimus et in stomachum transmittimus quibus membra nutriantur. Per dentes ergo designantur principes qui alius
dominantur. uel dentes sermones eorum possunt intellegi. sicut per calamum intellegitur scriptura quibus dicebant. crucifige crucifige
eum et cetera talia. Domini est salus. Vox prophetę de diuinitate Christi. ad uersum uidetur hęc ad superiora iunguntur. illi dicebant non est salus
ipsi in deo. sed salus mea domini est. Et super populum tuum benedictio tua. Apostropha est ad deum patrem. O deus super populum tuum id est christianum
sit benedictio tua. Salus domini est quia a peccatis saluamur. Qui enim saluat hic in presenti peccata dimittendo. hos benedictione sua
saluabit in futuro dicens. Venite benedicti patris mei percipite regnum. Dicendum autem in fine quia psalmus miserere mei deus ante
cantatur est quam iste. sed quod beatus Dauid spiritu sancto reuelante cognouit Christum tertio die resurrecturum. Idcirco tertio loco eum posuit. illum uero quinquagesimo
quia quinquagesimus numerus penitentię dicatur.

Quid sit psalmus iam supra dictum est. Canticum autem dicitur id est hymnum et laudem diuinam. Vbicumque autem inuenitur scriptum psalmus precedat
canticum. intellegitur primum instrumentis musicis melos decantatum et postea uiua ac rationabili uoce carmen modulatum. Vbi uero
canticum precedit psalmum. intellegitur intellegibili uoce id quod in mente conceptum fuerat expressum et deinde ab instrumentis musicis esse modulatum.

Cum inuocarem. Vox est ecclesię in tribulationibus et angustiis positę dicentis. Cum inquit inuocarem id est deprecarer dominum ac
redemptorem meum exaudiuit me. id est statim affuit mihi et misertus est mei. sicut dicit apostolus. Quando enim infirmor tunc fortior sum ego ipso
tens. Deus iustitię meę. iustitię id est iustificationis. Ille uidelicet deus qui me iustificat. Neque quisquam suo iustificari potest
merito nisi auxilio fulciatur diuino. Ideoque ecclesia deum iustitię suę appellat iuxta quod apostolus ait. Ipse est iustificatio redemptio et
propitiatio nostra. Et alibi. Mortuus est quidem propter peccata nostra surrexit autem propter iustificationem nostram. Deinde per apostropham
alloquitur ipsum Christum dicens. In tribulatione dilatasti mihi. Id est quo amplius a persecutoribus insectabar eo amplius te tolerante
et exaudiente ualentior existebam. Miserere mei et exaudi me. Vox ecclesię est postulantis deum ut sui misereatur et exau
diri mereatur. Attendendum uero quod sui iterum misereri et exaudiri ecclesia postulat quam superius se exauditam perhibebat dicens.
Exaudiuit me deus iustitię meę. In quo semper nobis commendatur quod in euangelio scriptum est. Oportet semper orare. Et apostolus dicit. Sine in

Exaltans caput meum. Christum per passionis misterium.

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 7 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/7)